



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modvs XLV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



**A** Definitione simplici rei, quæ pro propo-  
 sitione præfixa & in progressu sermonis, ratio-  
 nibus probata. Orationem conficit. Copiosissimi  
 sunt in his, S. S. Patres, præsertim in definiendis  
 vitiis ac virtutibus, item in laudibus Divorum, ac  
 B. Virginis Mariæ, ex cujus titulis, è Divis Patri-  
 bus collectis, justus libellus, Nomenclator Maria-  
 nus dictus, in manibus plurimorum teritur. Hoc  
 modo formari posset concio. E. grat. Dominica  
 Sanctissimæ Trinitatis, definiendo & probando  
 Festum Sanct. Trinitatis, esse Festum beatæ æter-  
 nitatis *Primo* quia quidquid sub eo recolimus, su-  
 pra homines est. *Secundo* quia nulla sanctorum,  
 per totam æternitatem futura occupatio, nisi Deum  
 trinum & unum, videre, amare, laudare. O quæ  
 hæc cognitio incognitorum? quis amor? quæ  
 laus? similiter definit, festum Ascensionis Domi-  
 ni nostri. D. Epipha. Episc. Cypr. in Bibliothec.  
 P. P. esse *colophonem œconomiae Domini*, quia scilicet  
 hic dies, Oeconomiam Domini instauravit in  
 cœlo; Christi ibi Principatum occupante, & San-  
 ctis, in cælum inductis, locum suum inter Angelos  
 præhendentibus. Instauravit in Terra; Apostolis  
 ad prædicandum missis, fidelibus baptismo præ-  
 scripto, omnibus creaturis, ut servis suis obediant,  
 imperio dato. Instauravit denique in inferno,  
 Patribus è limbo liberatis, Principe inferni alliga-  
 to, potestate, nocendi hominibus multum  
 imminutâ. Verum succedat.

PRA.

## PRAXIS.

Dominica III. post Pascha.

*Mundus autem gaudebit. Joan. 26.*

**A**ccessus & Propositio. Democritum Philosophum, quicquid agi videret in orbe, omne id risisse, narrant veterum annales. Causam risus sciscitantibus, respondit. Quia nihil in Mundo, non ridiculum. Alium jam Democritum habemus, quem Christus veritas, Mundum esse denuntiat; cuius una constansq; sit occupatio, gaudere aut ridere. Quid causæ? silet hîc Democritus, sed cogitanti occurrit. Mandum id risu suo continuo agere, ut mundanos homines irrideat. Sistamus igitur, & quam verus bellusque, sit hic suorum irrisor, videamus.

Confirmatio per probationem definitionis, quod Mundus sit Irrisor suorum.

Duo genera irrisionum omnibus noscuntur. Aliud quod palam tale habetur: Aliud, quod cum id minime præferat id tamen maxime agit. Ad primum genus refertur exemplum, quod habetur i. Paral. 19. ubi Amon male persuasus de legatis Davidis, tanquam de exploratoribus, ad eorum contemptum & irrisionem, eos *decaluavit, rasit, & præcidit tunicas eorum*. Item exemplum de Samsone, quando Jud. 6. post erutos Samsoni oculos,

Q

pra-

*præceperunt Principes (scilicet) ut vocaretur Samson, & ante eos luderet. Tandem exemplum ipsius Servatoris nostri, irrisoriè in ædibus Pilati, in Regem coronati & illusi. Alterum genus irrisionis ut occultius est, & varium: ita difficile circumscribi potest, de tali D. Hier. epist. ad Rulti. Ne credas adulatoribus tuis, imo irrisoribus, aurens ne libenter accomodes; qui cum te adulatoribus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subito respexeris, aut Ciconiarum deprehendas colla post te curvari, aut manu, auriculas agitari asini, aut aestuantem canis protendi linguam &c. Utroque hoc modo, Irrisor Mundus, ridet suos. O quot hic Amnon, venerandos ætate senes, in leves scurras, inter sua tripudia, decalvat & radit! O quot majestuosas & ad omnem gravitatem formatas togas, in suam levitatem decurtat? Pudeat longæ vestis, cui brevis virtus est, nullaque verecundia. Neque segnius, Samsonis ludus luditur, ut Mundus irrisor, risu suo pascatur. Gaudent vocari fortes, invicti, potentes, magni Principes, Duces; & dum viribus nimium fidunt, ab hostibus infensissimis excæcati, pericula imminencia non vident, Ducunt in bonis dies tuos & in puncto ad inferna descendunt. Vultis & pompam spectare ludicrè à Mundo coronatam? O quam innumeri, sub illa vivunt? quod frontes spinis onerantur, & gloriantur de auro? Honor indignis collatus, spinæ sunt. Quot manus arundine fatigantur, & sceptrum præferunt? Imperia leviter administrata, levis arundo sunt. Quot rudiavelera, corpus affligunt, & pro purpuris jactantur.*

Rudes

Rudes animi sub serico, peco menetium est. Quot  
 genæ colaphis cæduntur & mulceri existimantur?  
 vultus hominis, status est hominis, cui duplices ge-  
 næ, virtutis & famæ. Et igitur qui nobili sanguine  
 editus, ignobilibus vitiis seruiat. En alapam famæ  
 & virtutis. Est qui militiam professus, spoliis pau-  
 perum gaudet, & iis ditari cupit. En item alapam,  
 famæ & virtutis. Est qui sacrationem vitam novit,  
 & profanos mores gerit. En tertio alapam famæ &  
 virtutis. Amant tamen sic ornari, sic suspici, sic ha-  
 beri, sic cædi, & præbere risum Mundo fallaci, de  
 quo verissime. August. tom. 10. Ser. de Jejun.  
*Iste Mundus aut ridet nos, aut irridetur à nobis, aut  
 contemnimus aut despiciemur.* Utinam auscultent  
 Psalmistam inclamantem. Psalm. 4. *Ut quid diligitis  
 vanitatem, & queritis mendacium,* utinam totus  
 decepti, aliquando sapiant, sed ne id fiat mille rur-  
 sus modos, hic irrisor adhibet, quibus suos infasci-  
 net, quorum non postremus est adulatorem præ-  
 ceptis decerptus, quem memorat D. Hier. epist.  
 14. ad Celant. *Est sane grande & subtile artificium,  
 laudare alterum in commendationem sui, & decipi-  
 endo, animum sibi illigare decepti.* En Mundæ  
 imaginem, laudatur voluptas ut stabilis; o-  
 pes ut constanter servituræ; lætitia ut ani-  
 mum satiatura; & heu? omnia contra veniunt.  
 Scilicet, prosperitas hujus Mundi teste August. in  
 Psalm. *habet asperitatem veram, jucunditatem  
 falsam, certum dolorem, incertam voluptatem*

*durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseria, spem beatitudinis inanem.* Caligula Imperator ex fide Dion. lib. 59. Jovis apparatu tumens solio infidebat, divinitatem, omnibus Diis, & lapidibus reclamantibus, invasurus. Interrogavit igitur à Gallo milite, quid sibi esse sub ea pompa videretur? cui Gallus. *Magnum omnino deliramentum.* Tale revera est quicquid Mundus mundanis commendat, & quicquid stultis fraudulentissimis Irrisor persuadet. Quid enim obsecro, brevis voluptas, quâ æternus dolor emitur? magnum omnino derilamentum. Quid pauca divitiæ, quibus æterna egestas comparatur? magnum deliramentum. Quid laus populi, quid favor amicorum, quid cultus clientum, quid reverentia minorum, quibus æterna perditio, contemptus, infelicitas, emitur? magnum derilamentum: & tamen sic delirare placet sic gaudere, & ridere, dum & ipsi irrideantur. Felix qui cum Salomone concludit: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Eccl. 2. Complutenses legunt. *Risum dixi derisionem.* Vere Mundi risus, mundanorum irrisio. Nam ridet & irridet, & quemadmodum continuo irridet, ut monitum D. Ansel. lib. 1. c. 8. alta mente figamus. *Si Mundus, vel aliquid eorum quæ sunt Mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certè frater non ridet sibi, ut in fine risus tu rideas, sed simulat risum, ut & irrideat. Esto igitur cautus, & cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride*  
*eum.*

MODUS